



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Claues an Christus dedit Petro, an communitati. tit. 122

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

ceptum Dei, Nō furtum facies, Exod. 20. Si defamasti, aut pactum contra superioritatem fecisti. Summa, si in aliquo proximū decepisti vt restituas, & sic satis facias necessarium est ad salutem: Nam sic oramus omnes, Matth. 6. vt Deus nobis sic per suam satisfactionem, id est, Christi, remittat peccata, sicut & nos dimittimus: ergo sit quodcunq; si aliquid aduersum te habet frater Mat. 5. nisi reconcilieris, non proderit tibi Christi satisfactio.

Tertiò, docetur satisfactio, scilicet obedientia, quam præstare teneris tuo confessori, qui tibi imponit pœnitentiam, id est, orationem, ieiunium, Eleemosynam, castitatem, &c. quæ dicuntur digni fructus pœnitentiæ, Mat. 3. & Rom. 6. Sicuti exhibuisti &c. Hæc valent ad mitigandas pœnas temporales, quæ sæpè Deus ppter peccatum in hac vita permittit, & qua 1. Cor. 11. dicit Apost. Si nos ipsos diiudicauerimus, non utiq; diiudicauerimus: sic Niniuitæ impetrarunt gratiã, Ionæ 3. Sic quondam erat publica pœnitentiã & satisfactio &c. Et de hac satisfactioe etiam locum sunt vbiq; Ecclesiæ doctores, August. Chrys. Cyp. &c. Vult Deus remittere peccatum propter Christum, sed non absq; medio. Videant ergo, qui omne medium & opus atque fructus pœnitentiæ contemnunt, tanquam inuentū humanum omnia reiicientes. Christus satisfecit pro peccatis nostris &c. Sic ex quo homo communiter tribus peccat, Mente, corpore, & rebus, idèò necessaria est pro peccato mentis, oratio: p corpore, ieiunium: Eleemosyna, pro avaritia &c. Contritione tamen mentis, confessione oris, opere aut satisfactioe, nemo meretur satisfactioem, sed distributionem satisfactiois Christi.

CLAVES AN CHRISTUS  
dedit Petro, an communitati.  
TITVLVS CXXII.

Primo,

**P**rimò, Christus dixit Petro Mat. 16. Et tibi dabo clauēs regni cœlorum: Non inquit, Dabo Ecclesiæ clauēs aut cõmunitati, & tu ab illa recipias: sed simpliciter, Tibi dabo clauēs regni cœlorũ. Ex hoc concludunt omnes Catholici doctores, quòd Petro non sunt data clauēs in persona Ecclesiæ, id est, quòd Christus dedisset primò illas cõmunitati, & Petro in eius persona, ita vt nunc Ecclesia illas haberet, sed in sua persona, in quantum publica & officiali ad commoditatem Ecclesiæ. Ideò Petrus vtitur clauibus ex concessa à Christo sibi autoritate ad profectum fidelium, Non quòd cõmunitas ei dedisset autoritatem clauium: ideò etiam Christus dicit Petro Ioan. 20. Pasce oues meas. Potestas igitur apud Petrum, non apud Ecclesiam est propriè.

Ex quo sequitur, quòd illa potestas, quam cõmunitas dat ministro, nulla est. Non enim cõmunitati, sed Petro est dictum: Tibi dabo clauēs, id est, ego tibi, personæ tuæ confero clauēs, quibus vtaris in Ecclesia. Sic ordinis Sacramentum non est à populo, sed immediatè à Deo. Sic et ad Tim. 4. Paulus imponit manum, non cõmunitas &cæ. manus hoc facit presbyterorum, non laicorũ. Quare licet ministeriũ sic suscipiatur, non tamè approbat Deus, sicut nec in Chore, Dathã & Abiron, Nu. 16. Secundò concludunt catholici, Ex quo Christus Petro dixit singularia verba, quæ non sic dixit alijs discipulis, vt Matth. 16. Et ego tibi dabo clauēs regni cœlorũ, &c. quæ verba etiam differunt ab ijs, quæ Apostolis omnibus dicta sunt, vt Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. & Matthæi 18. Quæcunq; alligaueritis super terram, &c. Ideò hæc est differentia inter Petrum & alios Apostolos, quòd licet in condonatione culpæ & pœnæ æternæ, omnes sint pares, iuxta illas autoritates Psalm. 20. & Matthæi 18, attamen propter illa verba,  
Matthæi

Mat. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum, & cæ. Petrus etiam concessa est potestas condonandi pœnas temporales pro peccatis debitas, id quod cæteris dissimilis non fuit concessum, attamen in articulo mortis quilibet sacerdos absoluit à pœna & culpa, secundum Gersonem.

Tertiò, ex hoc fundamento venerunt indulgentiæ Papales. Nam tam strenuus rigor fuit in nascenti Ecclesia, quòd plures pœnæ tam occultæ, quam publicæ etiam ad septem vel decem annos duraturæ aliis quibus peccatoribus impositæ fuerint à confessoribus suis: adeò stricta erat olim censura peccatorum. At voluit Papa ut pius pater consulere sic gravatis hominibus pœnis impositis & pœnitentijs, & dedit eis indulgentias, commutando illas impositas pœnas in alias, id est, visitationem & frequentationem Ecclesiarum, opera pietatis, &c. Et sic, quando sola animarum salus quærebatur, multis proderant indulgentiæ, donec auaritia accessit, & pium negotium in abusum conuertit & cæt.

Quartò, attamen omnes doctores Catholici concludunt, quòd indulgentiæ non sunt contemnendæ, sed in fide, spe & charitate amplexandæ cum gravium actione coram Deo, qui talem potestatem dedit hominibus, Math. 9. Attamen numerus dierum vel annorum Deo relinquendus est, qui omnia facit in pondere & mensura. Sunt ergò indulgentiæ non contemnendæ: nam conducunt pro extinguenda pœna, relicta & debita p prioribus peccatis, ubi quis minimè potuit satisfacere. Causa autem indulgentiarum, Christi mors est, cuius efficacia nobis per hoc medium indulgentiarum etiã distribuitur, etiam per preces sanctorum. Si Christus concessit Petro, quod maius est, id est, absolvere à pœna & culpa in persona sua, & propter verbum suum, Cur non etiam à pœna temporali dedit absoluedi potestatem, id quod minus est, quam culpa

culpa & poena aeterna? Ergo indulgentiae sunt verae.

DE TRANSSUBSTANTIA-  
tione Sacramenti.

TITVLVS CXXIII.

**P**rimò, sectae nolunt adorare Sacramen-  
tum Eucharistiae, quia non credunt, quod  
panis per verba consecrationis & vinum  
vertantur in corpus & sanguinem Chri-  
sti, sed post consecrationem maneat pa-  
nis & vinum sicut antea. Nam omnes Euangelistae di-  
cunt, Accipit panem in manus suas, Matt. 26. Marci  
14. Luc. 22. & Paulus 1. Cor. 10. Panis quem frangi-  
mus &c. sicuti igitur ferrum & ignis ita inuicem copu-  
lata sunt, ut tamen vtriusque substantia sit ferrum &  
ignis: Sic caro & panis, vinum & sanguis sunt coniun-  
cta, ut tamen quaelibet substantia maneat integra. Pa-  
pistae ergo adorant panem, & committunt idololatriam  
in processionibus Sacramenti, &c.

Secundò, Fides Ecclesiae Catholicae est, quod vir-  
tute verborum Christi, quae in sua persona eloquitur,  
id est, Hoc est corpus meum, panis transsubstantiatur  
in corpus Christi, & vinum in sanguinem, ita quod nihil  
de pane & vino manet post consecrationem. Sicut in  
conuersione aquae in vinum, Ioan. 2. non mansit simul  
vinum & aqua, sed totum fuit vinum bonum &c. Subin-  
de, quod Euangelistae dicunt, Christum accepisse in ma-  
nus panem, hoc verum est, sed non mansit, postquam ele-  
uatis oculis in caelum, & gratias agens benedixit: Hic  
fuit alteratus panis in corpus: ideo dixit, Accipite &  
comedite, Hoc est corpus meum. Non dixit, Accipite,  
comedite, hic panis est corpus meum: sed simpliciter,  
Hoc est corpus meum &c. Ideò nos credimus ibi esse  
verum corpus & sanguinem Christi, animam & vi-  
tam & diuinitatem Christi, ideo nos non adoramus  
panem, sed diuinitatem Christi, quae nunquam separa-  
tur à